



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. IX. Sacras, & Apostolicas Excursiones auspicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

Sacras & Apostolicas Excursiones auspicatur.

HIs tamen non contentus P. Paulus, dispiciebat secum sollicitè, quodnam tandem gratissimum DEO suo sacrificium offerre posset? Post multas eam in rem suas preces incitari se à DEO sensit ad totum se sacrarum Expeditionum, seu Apostolicarum Missionum ministerio impendendum, ut quod & tam excellens, & tam animarum salutis proficuum esset. Bonâ igitur Superiorum suorum veniâ orsus est toto animi corporisque nisu labores suos Apostolicos ab anno seculi sexagesimo quinto usque ad nonagesimum secundum, quando eos Summi Pontificis imperio abrumpere coactus est, Romam ab eodemmet, ut subinde dicemus, avocatus. Ubi se tanto honore dignatum, & tam nobile proferendæ divinæ gloriæ instrumentum electum advertit, animos sibi subdidit ad juratum Stygi bellum movendum, & sequenda quàm proximè posset veneranda vestigia Sanctorum Antonij Patavini, Vincentij Ferrerij, Bernardini Senensis, aliorumque qui sudoribus suis Italiæ solum fecundârunt. Erit fortasse, qui temerarium existimet P. Paulum nostrum cum nobilissimis his ac strenuissimis Ecclesiæ Pugilibus comparare. Certum tamen est, quòd quisquis suis ipse oculis usurpavit tantam mortalium, quæ ad eum audiendum confluebat, multitudinem, tot sceleratorum hominum ad meliora reditum, tot juratas inimicitias positas, & tam multa alia illustria facinora, ad quæ Sacris his Expeditionibus multi excitati sunt, pleno ore fateatur, omnia quæ eo in genere narrantur, posse quidem à multis accipi tanquam exaggerando dicta, re ipsa autem longè infra verum esse.